105

JVSTI CHRISTOPHORI BöHMERI

Polit. & Eloq. Prof. Ordin.

PROGRAMMA DE PRINCIPE ORATORE

publicis præmiſſum, lectionibus de notitia optimorum ſcriptorum.

HELMSTADI,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
Anno M DCCI.

1

Digitized by Google

*Humanitatis elegantiorisq; doctri-
næ in Academia Julia cultoribus.*

IVSTVS CHRISTOPHORVS BÖHMER

S. P. D.

PLacuit providentiæ Numinis, iſtiusmodi, ante annos aliquot, me admovere muneri, quo, ſpem patriæ, juventutem præclaris artibus ad commune bonum erudirem. Gratulatus mihi ſum ex animo, datam eſſe occaſionem, quoad facultas fert, de publico bene merendi, idque eo magis, quod præter

ter civilis doctrinæ, eloquentiæ inſuper & meliorum literarum ſtudia curæ potiſſimum meæ in hoc bonæ mentis domicilio nunc commiſſa eſſe intelligam. Solenne multis eſt, officium, quod ſuſtinent, verboſo evehere encomio, quamque aliis præſtet, operoſe interdum enarrare. Recedo a more hoc, prudentibusque rerum arbitris, vel me tacente, conſtare exiſtimo, quæ tradere jubeor ſtudia, ſi ad genium politioris ſeculi excolantur, actuoſæ & exercitæ vitæ plurimum inſervire. De induſtria hic prætereo civilis ſapientiæ præſentiſſimum in communi vita uſum, de eloquentia utcunque locuturus ſub novi muneris auſpicia. Si fatendum enim quod res eſt, prudenter & ornate dicendi ſtudia ita ſunt comparata, ut quemlibet, qui paulo elegantior cenſeri cupit, juvent atque exornent; ita ut haud immerito egregium quid is videatur indeptus, qui, in qua re cæteris animantibus homines præſtant, quod loqui poſſunt, ea in re hominibus ipſis antecellat. Ipſi, quos in ſummo rerum faſtigio collocavit indulgentia fatorum, imperantes ab eloquentia, audebo dicere, haud exiguum ſibi decus & gerendæ reipublicæ adjumentum conciliant.

Equidem

Equidem tenuitatis meæ probe mihi conſcius non aſſequor, quibus imperantium eruditio ſpatiis circumſcribatur. Quam procul abſum a faſtigio illorum, tam longe ab intelligentia etiam principalis eloquentiæ me abeſſe ſentio. Non in poſtrema tamen curarum ſuarum parte facultatem eleganter dicendi poſuiſſe olim principes & ponere hodienum dubio caret. Priſci Imperatores Romani, domini quondam æternæ, ut gloriabantur, urbis, laudem ſibi hoc nomine pepererunt in ſcriptis veterum omni ævo duraturam. Graviter admodum de his loquitur Tacitus: *Dictator Cæſar ſummis* XIII. A. 3. *oratoribus æmulus & Auguſto, prompta ac profluens quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus ſenſibus, aut conſulto ambiguus. Etiam C. Cæſaris turbata mens, vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres.* Primus inter Imperatores Nero fuit, qui, cum in publico dicendum eſſet, aliena indigeret facundia, ſtudiisque ad res gerendas parum idoneis ab ineunte ætate deditus, eloquentiæ culturam doctrinamque omnem prorſus neglexit.

Digitized by Google

xit. Male id tunc temporis habebat prudentiores e ſenatu, de novo principe iudicantes ex priorum Cæſarum exemplis, quos facunde admodum diſſeruiſſe non neſciebant. Certe quæ in Octavio laudatur dicendi vis ac facultas e dignitate illorum eſt, qui rerum ſummam in civitate obtinent. Promta decet eloquentia principem, non anxie quæſita aut obſcura diligentia comparata, ſed illa quæ plus naturali debet facilitati, quam profundiori meditationi & ſtudio. Nihil moleſte, nihil moroſe loqui aut ſcribere, ſermone facili & expedito animi ſenſum proferre, & ſine cunctatione explicare reipublicæ negotia, profluentis eloquentiæ partes ſunt. Neque vero ſummi imperantes ſermonibus uti conſueverunt prolixis ſed brevioribus quique ſententiarum delectu ac gravitate ſe commendant. A principe non verba expectantur ſed oracula, ejusque eſt non tam docere ac diſputare, quam præcipere & definire. Quin imo ipſa vox dicentis, ipſe vultus ubique demonſtrat principem eſſe qui loquitur, cui autoritas pro facundia eſt. Aberrant igitur nonnihil, ſi, quod res eſt, fateri liceat, a vero dramata Italorum

muſica

muſica a maximis, medioximis, infimis in magnō interdum pretio habita. Qui præcipuam in iis, & herois plerumque, ſuſtinet perſonam cantantem &, quod magis mirandum, acuta voce quæque mulierem potius quam virum decet canentem ſæpe introduci animadvertimus, dum vel in aciem deducit milites, vel juſſa dat populo, vel miniſtros ſuos adloquitur. Quo ipſo, licet auribus blandiatur amœnior cantus, caracterem tamen dicentis perſonati principis minime obſervari, palam eſt. Si veterum ſcriptorum monumenta, qua par eſt, accuratione perluſtramus, apparebit, etiam illos ſummam regum principumque, quos loquentes introducunt, amplitudinem non ſemper ante oculos ſibi poſuiſſe. Quis quæſo ſapientum credat, longiſſimas illas, quas Dionyſius Halicarnasſæus variorum, aut Curtius refert Alexandri & Darii orationes ex horum ingenio & ore profluxiſſe. Virgilius, poëtarum cætera præſtantiſſimus, contra decorum, ut molliſſime dicam, egiſſe non nemini videri queat, quando de Ænea dicit:

Ex-

Æneid. l. 1. *Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra*
Ingemit & duplices tendens ad ſidera palmas
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Saint-Evremont oeuvr. meslées Tom. I. Plorat Æneas dum pugnandum eſt, in lamentabiles voces erumpit, periculo appropinquante, terrore perculſus felices prædicat qui ſub ruderibus devaſtatæ urbis vitam finierant. In fœminis & molliori ſexu fingi talia & tolerari poterant, ſed parum digna ſunt viro forti, parum digna heroë, qualem Æneam eſſe vult Virgilius. Hic enim nunquam deſpondere debet animum in pericula quamvis maxima adductus, nec vel tantillum committere, quod infra magnitudinem tam excelſæ animæ foret. Rectius omnino vidit Iliad. l. 17. Homerus, qualis ſermo heroem deceat, quando Longinus de Sublim. cap. VII. Ajacem ſiſtit contra Trojanos pugnaturum. In eo erat Dux Græcorum Ajax, ut prælium committeret, cum derepente totus exercitus ſuus nubibus & caligine ita tegeretur, ut nec videre hoſtem nec fortiter aggredi poſſet. Non tamen ille

ille amittit priſtinum mentis vigorem, non Deos implorat, ut auxilio ipſi ſint in certamine aut vitam ſervent. *Da lucem ut videam* dicit, hocque unum a Jove petit, ut ceſſent quantocyus tenebræ, ut dies illuceſcat, quo pugnam inire & fortitudinis ſuæ documenta edere queat. Ita ergo, ut dicere cœpi, Regum Principumque orationes comparatæ eſſe ſolent, ut animi magnitudinem ubique ſpirent & vel ſola brevitate ſua dicentis autoritatem oſtendant. Exempla illarum bene multa eaque non fictitia ſed vera ſuppeditat & antiqua hiſtoria & recentior. Ut alia ſileam, Cajum Julium Cæſarem, quem ſummis oratoribus æmulum Tacitus ſupra laudaverat, mirifice in hac pro dignitate Principis loquendi arte excelluiſſe, ex ſcriptoribus Romanis diſcimus. Cum in civili bello, quo ſic de principatu laborabant Cæſar & Pompejus, quaſi duos tanta imperii fortuna non caperet, navale prælium moliretur Cæſar, parsque exercitus ob navium inopiam alibi locorum moram faceret, adeo impatiens erat, ut ad arceſſendos eos, ardente ventis mari, ſpeculatorio navigio ſolus ire tentaverit. Trepidat navis guber-

Digitized by Google

nator & metuit periculum, quem Imperatore digna voce, *quid times? Cæſarem vehis*, erigit beneque ſperare jubet. Militaris eloquentiæ ſuæ ſpecimina dedit alia in eodem bello civili, cum vel inflammaret ſuos ad fortiter pugnandum, *Miles faciem feri*, inquiens, vel, ut quantum fieri poſſet, a ſanguine civium abſtinerent, exhortaretur blanda & ad benignitatem compoſita voce *Parce civibus*. Suetonius in vita ejus refert, quod milites, miſſionem ac præmia importune flagitantes & ſeditionem molituros, ſola compellatione qua *Quirites* eos nominaverat, in ordinem redegerit. Una iſta vox Cæſaris ore prolata plus valuit apud eos, quam bene longæ aliorum ſermocinationes valuiſſent. Si recentiora quis Principum graviter perorantium exempla deſiderat, occurrunt ea magno numero, quæ ſingula recenſere loci hujus haud eſt. Unum Caroli V. Imperatoris idque meo judicio egregium afferam. Cum is durante Germanico bello æneorum tormentorum ictibus aliquando expoſitus eſſet & ad latus ejus & tergum quam plurimi ignitis hoſtium globulis proſternerentur, nec locum ille nec ſta-

tum

tum nec vultum mutavit. Monentibus amicis, ſibi atque omnibus in ſe parceret, ſubridens dixiſſe fertur: *Confiderent, neminem Imp. tormenti ictu periiſſe.* Henrici IV. Galliarum Regis admirabilem eloquentiam mirifice extollit eandemque exemplis allatis demonſtrat, qui ipſi quondam a privatis ſtudiis fuit, Archiepiſcopus poſtea Pariſienſis, Harduinus de Perefixe. De eodem Balzacius refert, quod brevi hoc ſermone, *Faites comme je ferai*, longe efficacius exercitus ſuos in pugnam accenderit quam longiore oratione. Sed ut ad veteres revertar Imperatores, quid aliud docent tot eximii Neronis, Galbæ, Nervæ, Hadriani, M. Aurelii, Commodi, Probi, Philippi, Numeriani, Alexandri, Gordiani, Valeriani nummi, in quibus ADLOCVTIO, ADLOCVtio COHortis, ADLOCVTIO MILITVM, ADLOCVTIO AVGVSTI vel AVGVSTORVM legitur, quam Cæſares iſtos præclare ad populum, ad militem dixiſſe, quarum concionum memoriam nummis his conſervari voluerunt. Sumamus in exemplum, unum æreum Caligulæ & Galbæ nummum, in cujus averſa parte

Lipſius Mon. & Ex Pol.


Hiſtorie du Roi Henri le Grand.

de la grande eloquence

6

Digitized by Google

Imperator Cajus ſiſtitur togatus, ex ſuggeſtu ante ſellam curulem milites armatos adloquens cum aquila & clypeis fulmine inſignitis.



Cajus CAESAR DIVI AVGVSTI PRONepos AVGuſtus Pontifex Maximus TRibunitia Poteſtate III. Pater Patriæ.

ADLOCVT COHortium.

Senatus Conſulto

Genuinus talis aſſervatur in muſæo Boſio-Sagittariano, quod bibliothecæ publicæ in florentiſſima Salana pars hodie eſt. Sermonem ad milites habuiſſe Caligulam, ſatis inde apparet. Oiſelius non male conjecit, iſtam hic indigitari orationem, quam recitavit Cajus in Ponte Bajano a ſe exſtructo,

Theſ.Num. antiq. p. 449.

cto , expeditione facta & victoria impetrata. Fiebant enim adlocutiones iſtæ militares cum ante prælium, tum poſt victoriam aut pacem, ut vel præmia aut laudes darentur bene meritis, aut de pace inita certior redderetur exercitus. Quinque hic obſervamus milites, quatuor ſigna militaria geſtantes, unde primum eorum, ductorem cohortis eſſe haud vane colligitur. Pileatos illos videmus comparere coram Cæſare, quod, ut ut indecorum alias & contra morum civilitatem eſſe videatur, militibus tamen, ne noſtro quidem ævo, vitio vertitur. In ſequenti Galbæ nummo Imperator paludatus in tribunali milites armis indutos adloquitur.



 IMPe-

Oiſelius l.c. Tab.89.n.2.

IMPerator SERvius SVLPicius GALBA
CAESAR AVGuſtus TRibunitia POTeſtate
ADLOCVTIO.
Senatus Conſulto

Equidem nec a Suetonio, nec ab aliis, qualis iſta fuerit oratio, & qua occaſione habita, legimus annotatum. Dixiſſe tamen eum ad milites e monumento hoc intelligimus. Ex ſuggeſtu autem vel aggere Cæſares ſtantes exercitum ſuum adloquebantur, quæ peculiaris Auguſtorum prærogativa erat, inferioribus poteſtatibus non æque conceſſa. Sæpius cum parte tantum exercitus aut cum una legione, aliquando cum ſolis legionum tribunis ac centurionibus concionati ſunt Imperatores. Quin imo iſtas adlocutiones nunquam impune a Romanis principibus omiſſas eſſe Illuſtr. Spanhemius annotavit. A ſedentibus ſæpe fiebant, ut Trajani nummus docet & ab equitantibus etiam factas eſſe Carolus Patinus in Suetonio, notis & nummis-

de præſt. & uſu Num. antiq. p. 842

p. 377.

mismatibus a ſe illuſtrato, egregio Vitellii nummo, qui adlocutionem ad exercitum Syriacum factam præ ſe fert, probatum dedit. Ne vero quis arbitretur belli tantum tempore eloquentiam ſuam exeruiſſe Cæſares, etiam tempore pacis orationes habuerunt, vel cum ipſi primum ad imperium pervenirent, vel adoptarent aliquem in ſpem ſuccesſionis, vel cum alium ad imperii conſortium aſſumerent, quæ omnia ex antiquis nummis & monumentis hiſtoriarum ſatis ſuperque innoteſcunt. Noſtro inſuper ævo facultatem eleganter dicendi non in poſtremis numerare Principes conſtat, dum vel reſponſa dant aliarum rerumpublicarum legatis & oratoribus, vel ipſi exercitus ſuos ad alacriter dimicandum exhortantur vel alia occaſione ſermonem habent. Quod ſi ergo in divina eloquendi arte excelluiſſe gloriæ ſibi duxerunt Cæſares, ſi a Regum Principumque dignitate haud aliena ſunt

bene

bene dicendi ſtudia; quid illos decere arbitramur, qui magnis Principibus ſuo tempore inſervire cupiunt, publicam rem in partibus ejus ſibi credendis olim recturi. Vos alloquor, *Cives Academici*, qui patriæ vera ſpes eſtis, qui Eccleſiæ & Reipublicæ felix ſeminarium, ut, quid veſtri ſit officii, mature cogitetis. Ruant alii præpoſtero conatu ad altiores, ut vocari amant, doctrinas, humanioris literaturæ præſidio deſtituti. Non intercedimus, modo nobis liceat regiam ſequi viam, veterumque ſapientiam atque eruditionem, quantum ejus fieri poteſt, conſectari. Admiramur exteros, Gallos inprimis, & nimium ſæpius quam par eſt, qui non pauca eorum, quæ acute & ingenioſe dicunt, Romanis debent ſcriptoribus quos faſtidimus plerique nec ſuo habemus pretio, eo quod omnium manibus teruntur. Mollierius, ſcenæ non levis artifex (ut ſe vocat ipſum in aliqua comœdiarum ſuarum dedicata Cardinali Richelio)

Digitized by Google

lio) in cœlum laudibus extollitur a plerisque nec immerito, qui tamen ex Terentio & Plauto plurima deſumſit. Nicolaus Bolæus, fateor, hominum vitia ingenioſe admodum perſtringit, ut inter ſuos nec parem forte habeat, vix ſuperiorem, ſed qui in antiquorum ſcriptis non omnino hoſpes eſt, animadvertet, eum amœniores Juvenalis & Horatii cogitationes in linguam ſuam feliciter transtuliſſe. Petrus Cornelius ſcriptores Tragicos omnes aut ſuperaſſe creditur aut æquaſſe, & qui eum æmulari auſus ſit præter Racinum huc usque inventus eſt nemo. Sed & ille ad Senecæ & veterum Tragicorum morem ſcripta ſua compoſuit. Veteres ergo legamus diligenter, illos dicendi ac ſapiendi magiſtros, ut & ipſi aliquando procudere quid poſſimus ſeculo dignum & quod ætatem ferre poſſit. Injuria fit genio ævi noſtri, dum meliores literas ſperni, perhibetur a nonnullis. Non ſpernuntur literæ, intem-

C peſtiva

ſtiva tamen eorum, qui illas excolunt, & infelix diligentia in contemtum ſæpius abit, cum non raro accidat, ut, qui elegantiora hæc & cultiora profitentur ſtudia, in vita civili longe ſint incultiſſimi inelegantiſſimique. Sobrie illa ſunt tractanda, doctrinaque omnis ad ſincerum judicium & ſenſus communis intelligentiam eſt revocanda, ſpretis criticorum quorundam otioſis quæſtionibus, cottidie Romani ſcripſerint an quotidie, Vergilius dicatur an Virgilius, quæ nec nocent ignoranti nec ſcienti proſunt. Præclare diſertiſſimus Daniel Eremita inquit, liceat enim verba ejus, prolixiora quamlibet, huc tranſcribere: *Quid illis veriſimilium, variarum lectionum, electorum; collectaneorum, ſpicilegiorum ingentibus voluminibus putes contineri, quod ad virtutem te aut civilis doctrinæ ſcientiam ducat? Plauti aliquis verſus aut Pacuvii emendatur; mille ſcribarum inerudita manus ad hiatum aliquem aut errorem adhibentur, hoc mores tuos, hoc vitam faciet emendatiorem? vide mihi illos ipſos qui auctores corrigunt, ſe vero negligunt, & nihilo ipſi meliores ſunt, cum meliores ſcriptores fecere. Legam ego libros non ut illos*

de vita aulica & civili l. IV. c. IV. p. 239.

illos emendem ſed ut me, & bonis quoque libris me bonum facere annitar: relinquamus illis obſoleta antiquitatis deleta conſuetudine vocabula, & de vocula aliqua Accii aut Nævii manifeſtam in litem deſcendant, vertamur ad proliora nos, & illa ſanctiſſima veterum ſcriptorum nonumenta non correctionum, notarum, expunctionum vulneribus ceu tormentis & equuleis conſcientes, ad vitæ noſtræ uſum & documenta ſapientiæ immaculatos adhibeamus. Ego ſocium me vobis offero atque comitem in humanioribus literis addiſcendis, vosque ad eruditam, ſapientem ac virilem facundiam, quantum in me erit, ſedulo ducam. Poſtquam enim benignit[illegible]reniſſimorum Academiæ Juliæ Nutritiorum, [illegible]ntate clementiſſimoque juſſu Eloquentiæ ordinaria Profeſſio mihi demandata, & cum Politices Profeſſione, qua in quartum jam annum fungor, conjuncta eſt, partium mearum eſſe intelligo ad ſolidiorem veterum ſcriptorum intellectum & perſpicuum venuſtioris eloquentiæ nitorem vobis præire. Ingenue profiteor, me non aſſequi ingentia laudabilium anteceſſorum merita, qui beatiſſima dicendi ubertate

Academiam hanc & ſeculum ſuum colluſtrarunt, quos inter familiam facile ducit ſempiternum Juliæ noſtræ & eruditæ Germaniæ ornamentum CHRISTOPHORVS SCHRADERVS de eloquentiæ ſtudiis immortaliter meritus. Enixe tamen allaborabo, ut diſcat me interprete juventus copioſe loquentis ſapientiæ præcepta & ſi non ad perfectam, aliquam tamen orandi laudem ac gloriam connitatur. Agite ergo, o boni, o generoſæ mentis pectora! & quanti præclarum hoc ingenii lumen faciatis, opere ipſo mihi commonſtrate. Optimus quisque, ſicut decus corporis & munditiem diligit, ita nec ſermonis elegantiam aſpernabitur, cujus faſtidium & neglectus ſordidum quid prodit liberalique indole indignum. Et quamlibet bene quis ſentiat, id vero in medium apte & cum venuſtate quadam proferre non poſſit, perinde id eſt, ac ſi intelligat nihil. Sedulam mihi huc usque navaſtis operam, quoties civilis prudentiæ ſtudia explicui & Germanici Imperii Notitiam, quam vulgo Jus Publicum vocant, appellatione veteri, ſignificatione nova, nec omnino, ut videtur, commode.

Non

Non dubito quin eadem aſſiduitate & conſtantia mihi adfuturi ſitis, præter iſtas doctrinas, artem qua latine qua germanice, tam de civilibus quam ſacris rebus dicendi, inpoſterum tradituro. Neque enim audiendi ſunt qui inepte exiſtimant, oratori in cœtu fidelium verba facturo ſtudia hæc minime inſervire. Germanicæ vero linguæ culturam a Germanis negligenter ut plurimum tractari, ſatis demirari non poſſum. Initium novi laboris, quod feliciter eveniat, publicis lectionib ciam a demonſtratione optimorum in vari ntiarum genere, in ſapientiæ & eloquenti is, ſcriptorum, ſicut ex publicatis ſemeſtrium tionum tabulis haud dubie meminiſtis. Ita arbitror, cognitionem hanc magnam eruditionis partem abſolvere, eamque, ſi ullo, hoc certe tempore apprime neceſſariam eſſe. Adeſte frequentes quotquot veram elegantemque eruditionem adamatis, & qui mihi Grotium de Jure B. ac P. publice explicanti diligenter attenditis, nunc inſuper de notitia optimorum ſcriptorum acturo haud gravatim date operam, futu-

ri aliquando familiæ decora & lumina patriæ. Valete ex ſententia animi, & pro flore Academiæ, pro perpetuitate excelſiſſimæ domus Brunſvico Luneburgicæ vota mecum pia nuncupate.

PP. in Academia Julia menſe Junio
cIↃ IↃccI.

Digitized by Google